



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 176. An liceat uti falsâ monetâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

emptorem cum suo onere reali, nec emptor plus domini potest acquirere, quàm haberet venditor, hic autem non habebat dominium liberum à debitis. Excipit *Lugo* d. 17. à n. 95., nisi tunc sit vendita, quando vendens in extrema necessitate poterat distrahere rem alienam, sicuti enim posset in ea necessitate consumere, ita potest illam vendere tanquam liberam onere, ut sic plenum accipiat illius pretium.

960 *Q. 176. An liceat uti falsâ monetâ.* R. Si est falsa tantum formaliter, id est, si appressa sit forma seu signum Principis sine ulla authoritate, dummodo materia sit bona, licitum est, quamvis enim nudus peccârit, tamen si postea exponatur, habet valorem intrinsecum & communem: contra si est materialiter falsa, quia vel deest pondus communiter requisitum, vel deest iusta materia saltem ex parte notabili, qui scienter exponit, peccat contra justitiam cum onere restituendi. Quòd si quis ignoranter exposuerit, tenetur recipere & commutare, si resciat, aut probetur exposuisse: Similiter qui acceptavit etiam ignoranter, si postea advertat defectum, & resciat à quo acceperit, tenetur suppressere, aut detecto vitio vendere, quanti potest; neque potest exponere pro pleno valore, ut se reddat indemnem, error enim meus soli mihi debet nocere, & ex eo quòd sim deceptus, non est mihi licitum decipere alterum, sed detrimentum illud assignare debeo, meæ improvidentiæ vel casui, *Nov.* aliique, ita ut *Spor. n. 30.* meritò dicat esse omnium: hinc audiendus non est *Dian. p. 3. t. 6. R. 3.* dicens eum probabiliter non obligari ad restitutionem, qui bonâ fide exposuit, uti accepit. De
cussione

cusione monetæ videri potest *Th. Hurt: de Re-
fid. tom. 2.*, ubi à pag. 495: fuse probat ex *S. Th.*
& aliis non esse sine gravissimis causis immutan-
dum valorem monetarum, sed relinquendum
secundùm æstimationem intrinsecam materiæ,
utì valet apud illos, cum quibus sunt commer-
cia: sufficere tamen rationem probabilem, quâ
Princeps judicat id necessarium esse ad bonum
commune, docet contra alios à pag. 498. Deni-
que notat *S. Th. opusc. 73. c. 9. ex Arist.*, esse vi-
tium usuræ, si quis cudat monetam, ut seipsum
reddat ditiozem, intendendo tantùm ejus mul-
tificationem sine necessitate Reip:

*Q. 177. Quid addendum sit circa emptionem
rei furtivæ, vel pro pretio furtivo. R. Seqq. §. 1. Em-
ptor, quamvis sit bonæ fidei, non fit dominus
rei furtivæ sibi venditæ, sed res manet domini,
cujus fuit; Venditor tamen etiam malæ fidei fit
dominus pretii, sed plerumque cum obligatio-
ne restituendi: E contra si quis pretio furtivo e-
mat merces, vendens ex vi emptionis non fit do-
minus pretii, sed dominium illius manet apud
illum, cujus fuerant pecuniæ; emens tamen fit
dominus mercium, & ita habetur ex jure partim
naturali partim positivo secundùm dicta n. 694:
possuntque videri *Laym. l. 3. t. 4. c. 17. n. 21.*
Spor. t. 6. c. 5. n. 53. & alii passim. Quòd si vendi-
tor & emptor sciverint rem esse alienam, restitui
debet pretium emptori, res domino, utì omnes
docent, quia contractus ex utraque parte est nul-
lus, & si res absumatur ab emptore, uterque in
defectu alterius in solidum tenetur restituere,
priùs tamen emptor, quia cùm absumpserit,
censetur magis nocuisse domino, ita cum aliis*